

## Topographicae descriptionis Euboeae insulae specimen.

**H**oc argumentum jam ante hos sedecim annos a Pflugkio, viro celeberrimo, pertractatum esse, me quidem non fugit, sed et hanc opellam, quam non sine aliquo studio per plures annos perficere conabar, rei indagandae non plane inutilem fore, ausus sum sperare.

### I. De nominibus hujus insulae.

Euboea, septentrionali, australi et orientali latere mari Euboico, parte maris Aegaei, et ab occidentali Euripo circumfusa antiquissimis temporibus plura habebat nomina. Appellabatur enim *Μάκρης* vel *Μακρὰ* 1) propter suam formam, extenditur enim a regione Caurina Euronotum versus circiter ducenta millia stadiorum 2) i. e. triginta milliar. german. a promontorio Cenaeo usque ad promontorium Geraestum 3). Praeterea haec insula appellabatur Abantis vel Abantias 4) ab Abantibus, qui Homeri temporibus vel soli hanc insulam habitabant, vel maximam ejus partem obtinebant. Tum insula *Ὀχη* dicebatur 5), quod nomen proprie australem montium partem in orientali latere insulae designat, postea vero ad australem partem ipsius insulae et demum ad totam insulam translatum est. Denique insula *Ἐλλοπία* 6) a vetere urbe insulae nuncupata est; Chalcodontis, Chalcodotis,

1) Antea vocitata est Macris - ut Aristoteles tradit Macra. Plin. hist. nat. 4, 12. Ἔστι γὰρ μακρὰ, διὸ Μάκρης ὠνομάσθη. Agathemeri compend. geogr. 1, 5.

2) Παραμῆρης μὲν τοίνυν ἐστὶν ἡ νῆσος ἐπὶ χιλίους σχεδὸν τι καὶ διακοσίους σταδίους ἀπὸ Κηραίου πρὸς Γεραιστόν. Strabo 10. p. 4. ed. Tzschucke.

3) Agathemerus vero longitudinem insulae constituit ad septingenta millia stadiorum c. 5. μήκος σταδίων αψ.

4) Ut Menaechmus tradit Abantias. Plin. l. c.

5) Καὶ Ὀχη δὲ ἐκλεῖτο ἡ νῆσος Strabo l. 10. p. 9.

6) Καὶ Ἐλλοπία δ' ὠνομάσθη ἀπο' Ἐλλοπος τοῦ Ἴωνος, Strabo l. c. p. 10.

Chalcis 1) propter aes ibi repertum; Asopis a rege Asopo, cujus filia Euboea fuit 2). Nomen Euboeae insula vel ab hac Euboea, vel ob pingua pascua accepisse videtur.

## II. De magnitudine hujus insulae.

Euboea est maxima insula maris Aegaei et quinta maris interni 3). A Thessalia sinu Pagasaeo et Maliaco, a Locride, Boeotia et Attica Euripo dividitur, ea hujus freti parte, quae proprie Chalcidem a Boeotia sejungit 4). Antiquissimis temporibus Euboea continenti conjuncta 5), tum vero terrae motu, vel undarum violentia ab illa diremta esse dicitur 6). Euripus (*Εὐρίπος ὁ Χαλκίδος* vel *Χαλκιδινός*) uno eodemque die temporibus non constitutis fluxum et refluxum septies habet 7) quam rem veteres scriptores *παλιῆροισιν* dicunt 8) et varia ratione explicare conantur. Livius enim ventis eam effici putat, neque certam quandam legem sequi, sed temere fieri 9).

Fluxus et refluxus maris interni, qui hic minus quam in apertis maribus discerni possunt, et qui uno eodemque die bis constitutis temporibus intra spatium sex horarum reciprocant, mihi ad rem explicandam nequaquam sufficiunt. Propterea major fides habenda esse mihi videtur Plinio, Straboni et Pomponio Melae quam Livio, etsi cum Strabone dicere cogor: *τὴν δ' αἰτίαν ἐν ἄλλοις σκεπτέον*. —

Dodwellius, ob nimium solis ardorem consilium insulae accuratius investigandae abjicere coactus narrat: se ipsum vidisse aquam hora septima vespertina septentrionem versus

- 1) Antea vocitata est Chalcodontis. Plin. 4, 12. Ut Callidemus tradit Chalcis, aere ibi primum reperto. Plin. 1. c.
- 2) Ut poetae vulgo Asopis. Plin. 1. c.
- 3) *Μεγίστη Σάρδω· δευτέρα Σικελία· τρίτη Κρήτη· τετάρτη Κύπρος· πέμπτη Εὐβοία*. Periplus Scylacis p. m. 56. et Agathem. compend. geogr. 1. 2. c. 8.
- 4) *Τοῦ Εὐρίπου τὴν Εὐβοίαν ἀπὸ τῆς Βοιωτῶν διεύροτος κ. τ. λ.* Pausan. 9, 19.
- 5) Euboea et ipsa avulsa Boeotiae tam modico interfluente Euripo, ut ponte jungatur. Plin. 1. c.
- 6) Natura avellit Siciliam Italiae, Euboeam Boeotiae. Plin. 1. c.
- 7) In Euboea Euripus septies reciprocatur. Plin. 2, 97.
- 8) *Περὶ δὲ τῆς παλιῆροῦ τοῦ Εὐρίπου τοσοῦτον μόνον εἰπεῖν ἱκανόν, ὅτι ἐπτάκις μεταβάλλειν φασὶ καθ' ἡμέραν ἑκάστην καὶ νύκτα*. Strabo 9. p. 401.
- 9) Venti ab utriusque terrae praealtis montibus subiti ac procellosi se dejiciunt et fretum ipsum Euripi non septies die, sicut fama fert, temporibus stas reciprocatur, sed temere in modum venti nunc huc, nunc illuc verso mari, velut monte praecipiti devolutus torrens rapitur 1. 28. c. 6.

cursum direxisse 1). Inter Chalcidem et Aulidem Euripus tam angustus erat, ut insula continenti ponte (*γεφύρα διπλεθρος* Strabo 9, p. 401. (i. e. ducentorum pedum graecorum) jungeretur 2) tempore belli Peloponnesii, quo incolae insulae et praecipue Chalcidenses ab Atheniensibus deficiebant; eumque pontem, quo tempore Aemilius Paullus Perseum devicerit, exstitisse, testis est Livius 3). Quod vero Dodwellius ex hoc loco elicere voluit, pontem illum uno demum saeculo ante Aemilium Paullum exstructum esse, id meris conjecturis adnumerari debet. Ceterum in utraque pontis parte turrim, quae insulae erat munimento, incolae exstruxerant.

Maximam latitudinem insulae (de longitudine jam supra diximus,) Plinius quadraginta millia passuum (i. e. octo milliaria geogr.) esse vult 4); Scylax in Periplo nihil de latitudine constituit 5). Strabo autem dicit, maximam latitudinem esse fere centum quinquaginta stadia 6), et cum stadium centum viginti quinque romanos efficit passus (Plin. 2, 23.), Strabo vix dimidiam partem (i. e. quatuor mill. germ.) constituit. Areae vero magnitudo est sexaginta milliaria quadrata.

Prope fretum i. e. in parte occidentali terrae motus percubuerunt 7) et viscera insulae occultos ignes alebant, quod calidis insulae fontibus probatur.

### III. De montibus insulae.

Montes continui, qui jure montium Thessalicorum pars quaedam habentur, a septentrione ad meridiem tendunt, et insulam in duas partes inaequales dividunt. Ora occidentalis est leniter acclivis, orientalis praecipue; propterea etiam hac insulae parte urbes exstitisse

1) Ceterum locus ex Claudiano in Rufinum 1, 90.

Est mihi prodigium —

— Euripi refluis incertius undis Rufinus, — —

Plinio caeterisque non repugnat.

2) *Ἡ δὲ Εὐβοία γεφύρα πρὸς τὴν Βοιωτίαν ἔζενται.* Agathem l. 1. c. 5.

3) Aemilius Paullus Chalcidem ad spectaculum Euripi Euboeaeque ante insulae ponte continenti junctae descendit. Liv. 45, 27.

4) Nusquam latitudinem ultra XL millia passuum extendit, nusquam intra duo millia contrahit. Plin. 4, 21.

5) *Τὸ δὲ πλάτος στενὴ ἐστὶν ἡ Εὐβοία.* p. m. 23.

6) *Τὸ δὲ πλάτος ἀνώμαλον, κατὰ δὲ τὸ πλεον ὄσον πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν σταδίων.* l. 10. p. 5.

7) *Ἔστι δὲ καὶ ἅπασα μὲν ἡ Εὐβοία εὐσειστος, μάλιστα δ' ἡ περὶ τὸν πορθμόν.* Strabo 10. p. 26.

*Περὶ τούτους τοὺς χρόνους (sexto anno bel. Pelop. i. e. a. 426) τῶν σεισμῶν κατεχόντων τῆς Εὐβοίας, ἡ θάλασσα κ. τ. λ. Thucyd. hist. 3, 89.*

nemo veterum scriptorum memoriae tradidit. Summa horum montium iuga septem anni menses nivibus teguntur, quod in his regionibus non parvam altitudinem pascere videtur.

Vertex horum montium septentrionalium Telethii nomen habet 1). Prope Carystum mons Oche summus insulae erat 2), qui ex Delo aliisque remotioribus insulis Archipelagi conspici potuit. (Dodwell. Tom. 2. pag. 251.) Inter Telethium et Ochen mons Dyrphis pulchro Dianae templo clarus erat, qui teste Dodwellio a Chalcide septentrionem versus splendide ascendit, in acutum cacumen excurrit et hodie Delphi appellatur. Inter hos montes est vallis, quae tertiam fere partem insulae complectitur, quam Itali Piano de Negroponte appellant. Iam quod ad τὰ ἄκρα τῆς Εὐβοίας (Herodot. 6, 100.) attinet, quo Persis appropinquantibus haud exigua Eretriorum manus fugit, montanae insulae regiones fuisse videntur; neque ii audiendi sunt, qui illa ἄκρα et τὰ κοῖλα τ. Ε. dicunt, promiscue a veteribus scriptoribus usurpata esse. Τὰ κοῖλα τ. Ε. ad litoris quandam partem sinuosam esse referenda, inde patet, quod ibi ducentae illae classis Persarum naves, quae Graecos apud Artemisium reliquae Persarum classi e regione in aciem constitutos a tergo invadere iussae erant, vi tempestatis cautibus allisae interierunt 3). Strabo τὰ κοῖλα inter Aulidem et Geraestum collocat, et Valerius Maximus inter Rhamnuntem et Carystum i. e. in ora occidentali 4), quem locum Mannertus, qui Strabonem recte temeritatis coarguit, neglexisse videtur 5).

#### IV. De promontoriis.

Promontoria insulae erant Geraestus (Γεραστός) in parte australi Atticam versus 6); Caphareus (Καφαρεΐς) Euronotum versus. Ab Hellesponto hoc promontorium ducenta viginti quinque millia passuum abest (i. e. quadraginta quinque milliaria geogr.) 7). Post Trojam expugnatam magna pars classis Graecorum fraude et fallaci signo Nauplii regis

1) Herbifer Telethius. Plin. 25, 8.

2) Κάρυστος δὲ ἐστὶν ὑπὸ τῷ ὄρει Ὀχῆ. Strabo l. 10. p. 17.

3) Οἱ (Πέρσαι) φερόμενοι τῷ πνεύματι ἐξέπιπτον πρὸς τὰς πέτρας. Herodot 8, 13.

4) Ὅτι τῆς Εὐβοίας τὰ Κοῖλα λέγουσι τὰ μεταξὺ Ἀυλίδος καὶ τῶν περὶ Γεραιστὸν τόπων. Strabo l. 10. p. 7.

Appius in eam regionem secessit, quae inter Rhamnunta Carystumque Chalcidico freto vicinam interjacens, Coelae Euboeae nomen obtinet. l. l. c. 8, §. 10. interna.

5) Locus Livii „est locus Euboicus, quem Coela vocant, suspectus nautis et cet.“ nullius momenti est.

6) Ad Atticam vergens. Plin. 4, 12. Euboea ad meridiem promontorium Geraeston et Capharea, ad septentrionem Cenaeum extrudit. Pomp. Mela 2, 7. §. 65.

7) Euboea abest ab Hellesponto parte Capharei CCXXV. millia passuum. Plin. 4, 12.

ibi naufragium fecit 1). Hinc ultor Caphareus Virgil. Aen. II, 260. Promontorium Cenaeum (*Κήραιον*) prope urbem Oreum caurum versus situm erat 2); Artemisium in septentrionali insulae parte situm, templo Dianae ornatum (Herodot 7, 176.), insigne erat proelio navali inter Graecos et Persas ancipiti Marte commisso.

## V. De fluviis.

Fluvii Euboeae non longe ab ora nascuntur et ad navigationem non ita sunt idonei.

Budorus (*Βούδορος*) prope Cerinthum urbem fluit 3), id quod Reichardus in tabulis suis non ita, ut debebat, exhibuit. Callas (*Κάλλας*) fluvius ex monte Telethrio (Tethrio, ut alii volunt,) prope Oreum excurrit 4). His fluminibus adjicias porro Lelanthum 5), a quo *Ἀηλαντιον πεδιον* nomen duxit, de quo inter Chalcidenses et Eretrienses propter copiam fossilium ibi repertorum et propter aquas calidas ibi scatentes, quibus Sylla utebatur, pugnatum est 6). Athenienses hoc loco Chalcide expugnata Minervae *τέμενος* seu templum dedicavere. Praeterea Strabo Nelei et Cerei mentionem facit 7), quibus fabulam subjungit, oves, quae ex illo aquam hausissent, nigram lanam accepisse, ex hoc albam.

## VI. De rebus, quae in insula gignuntur.

Insula pecudibus, praesertim ovibus caprisque, praeterea frumento abundabat 8). Triticum Thracium, quod prius, quam alia ejusdem generis frumenta, maturescebat, erat ponderosius et apud Carystum crevit 9). Frumentum non solum ad usum incolarum sufficiebat, sed magna ejus copia praecipue Athenas exportabatur; quamobrem maxime intererat Atheniensium, ut hanc insulam non solum in potestatem redigerent, verum etiam redactam

- 1) Nauplius sensit tempus venisse ad persequendas filii sui Palamedis injurias. Itaque tanquam auxilium eis afferret, facem ardentem eo loco extulit, quo saxa acuta et locus periculosissimus erat. Illi credentes, humanitatis causa id factum, naves eo duxerunt. Quo facto plurimae eorum contractae sunt et cet. Hygini fabulae. 116.
- 2) Euboea a septentrione Cenaeo est insignis. Plin. 4, 12.  
*Ἔστι δὲ τῷ Ὠρεῶν τότῳ τὸ τε Κήραιον πλησίον.* Strabo 10, 16.
- 3) *Ἐγγὺς δὲ Βούδορος ποταμός.* Strabo 10. p. 17.
- 4) *Ὀρεὺς καίται ὑπὸ τῷ Τελεθρίῳ παρὰ τὸν Καλλάντα ποταμόν.* Strabo 10. p. 14.
- 5) Euboea quondam clara fuit flumine Lelantho.
- 6) (Urbes, Chalcis et Eretria) *περὶ δὲ Ἀηλάντιον διενεθρεῖσαι* etc. Strabo 10. p. 34.  
*Οἷς (sc. θερμοῖς ὕδασι) ἐχρήσατο καὶ Σύλλας Κορινθίος.* Strabo 10. p. 25.
- 7) *Εἰσὶ δὲ νῦν Εὐβοῖται ποταμοὶ Κηρεὺς καὶ Νηλεὺς.* I. 10. p. 40.
- 8) *Πρὸς τὴν ἄλλην ἀρετὴν ἀπασῶν νήσων διέφερε.* Panegy. Isocratis orat. 1.
- 9) Triticum Thraciae quadragesimo die, quam satum est, maturescit. Nulli frumento plus est ponderis et furfuribus caret. Utitur eo Euboea quoque circa Carystum. Plin. 18, 12.

in sua dititione tenerent 1). Praeterea insula ligna protulit et praecipue abietes, sed, quod celeriter putrescebant, ad naves aedificandas minus idoneae erant 2). Praeterea castanae (nucis Euboicae) inveniebantur. Prope Histiaeam terra consita erat vitibus 3). Ex fossilibus reperiebatur cuprum et ferrum, quorum fodinae tamen jam Strabonis tempore exhaustae erant 4); tum fossile ex cupro et ferro compositum; marmor viride apud Carystum 5). Praeterea etiam sal et amiantus reperiebantur 6).

## VII. De incolis.

Euboea primo ex Asia incolas accepisse videtur. Homeri tempore Abantes florebant, quorum princeps Elephenor cum quadraginta navibus ornatis ad expugnandam Trojam profectus est 7). Cum Jonibus et Lelegibus australem insulae partem incolebant. Nomen duxisse ferunt vel ab antiquo rege Abante, qui coloniam Atheniensium in Euboeam transduxisse traditur, vel ab Aba, urbe Phocidis, qua relicta incolae Thracii in Euboeam se contulerunt 8). Teste Scymno Leleges primi in insula sedes fixisse dicuntur 9). Tum veteres scriptores *Ἰστιαίους* memorant, quorum regio *Ἰστιαίως* appellabatur, sub monte Telethrio in septentrionali insulae parte sita 10) Histiaei immigrasse videntur ex Thessalia, cujus pars quaedam idem nomen gerebat. Regionem caurum versus sitam *Ἐλλοπιείς* ad promontorium Cenaenum incolebant, eorumque regio *Ἐλλοπία* dicebatur. In hunc locum Jones quoque ex Attica immigraverunt, (quo tempore id factum sit, non liquet, fortasse post Codri mortem;) qui veteribus incolis se immiscebant. *Ἀρόστες* circa Carystum et

1) *Τὸ μέγιστον Εὐβοίαν ἀπολωλέκεσαν.* Thucyd. 8. 96.

2) Pessimae (abietes) Parnassia et Euboica: quoniam ramosae ibi et contortae putrescentesque facile. Plin. 16, 39.

3) *Πολυστάφυλόν ὃ Ἰστιαίαν.* Hom. II. 2, 537.

4) *Νυνὶ μέντοι ἀμφοτέρω ἐκλέλοιπεν.* Strabo 10. p. 26.

5) Notior tamen marmore Carystio. Plin. 4, 12.

Columellas Carystias Romani maxime in deliciis habebant. Plin. epist. 5, 6. §. 36.

6) Minorem amaritudinem habent (sales) ut Afficus et Euboicus. Plin. 31, 7.

*Ἐν δὲ τῇ Καρύστῳ καὶ ἡ λίθος φύεται ἡ ξαινομένη καὶ ὑφαινομένη κ. τ. λ.*  
Strabo 10. p. 18.

7) — — — ὄζος Ἄρηος

*Τῶ δ' ἅμα τεσσαράκοντα μέλαινα νῆες ἔποντο.* II. 2., 545.

8) *Φησὶ δ' Ἀριστοτέλης ἐξ Ἄβας τῆς Φωκικῆς Θοῤῃκας ὀρηθέντας ἐποικῆσαι τὴν νῆσον.*  
Strabo 10. p. 9.

9) *Πρώτους δ' ἐν αὐτῇ φασὶν οἰκῆσαι προτοῦ  
Μιγάδας συνοίκους Ἀλέγας.* v. 570 et 571.

10) Ὄς (Ἐλλοψ) καὶ τὴν Ἐλλοπιάν κίσαι λέγεται χωρίον τῆς Ἰστιαϊώτιδος πρὸς τῷ  
*Τελεθρίῳ ὄρει.* Strabo 10. p. 10.

Geraestum considabant. Graeci, cum expugnata Troja redirent, ibi Nauplius regnavit, cujus jam supra mentionem fecimus. Strabo praeterea inter populos, qui in Euboeam immigrasse dicuntur, Arabes commemorat, qui Cadmum comitabantur 1); et Aeoles, qui Penthilo duce, filio Orestis, in hanc insulam venerunt, ibique sedes collocaverunt 2).

### De urbibus.

Inter Euboeae urbes maxime inclaruit et primo loco ponenda est *Χαλκίς* a Pandoro condita 3), Aulidi in Boeotia ex adverso sita. Eam urbem per plura secula floruisse, neque pristinae dignitatis quidquam amisisse Strabo testatur. Post bellum Trojanum a Cotho Atheniensi denuo colonia huc deducta est 4). Homerus ejus (Il. 2. 537. sq.) mentionem facit. Imperium penes optimates erat et opulentissimi cives, summis honoribus ornati, *Ἴπποβοῦνται* appellabantur, quos rem pecuariam maxime fecisse putamus 5). Quo tempore illi optimates valebant, urbs Chalcis (a. 668.) colonos misit in Italiam inferiorem, qui ibi Rhegium condiderunt, neque minus in Siciliam. Etiam prope Olynthum Chalcidenses domicilium collocaverunt 6).

Arethusa fons largam frigidamque aquam incolis suppedabat 7).

Urbs gymnasiis, porticibus, templis, theatris, picturis, statuis ornata erat 8), forum magnum tribus porticibus circumdatum 9); regio, quae circumjacebat, oleis consita 10).

Datis ante pugnam Marathoniam Persarum imperio urbem subjecit, tum in ditionem Atheniensium rediit, et bello Peloponnesiaco in breve tempus libertate usa denuo Atheniensibus subjecta est. Cum Alexander Persis in Asia bellum illaturus esset, Chalcidenses,

- 1) Τὸ δὲ παλαιὸν καὶ Ἀραβες, οἱ Κάδμω συνδιαβάντες. Str. 10. p. 23.
- 2) Αἰολέων δὲ τινες ἀπὸ τῆς Πενθίλου στρατιᾶς κατέμειναν ἐν τῇ νήσῳ. Strabo 10. p. 23.
- 3) Νυνὶ μὲν οὖν ὁμολογουμένως ἡ Χαλκίς φέρεται τὰ πρωτεία καὶ μητρόπολις αὐτῆ λέγεται τῶν Εὐβοέων. Strabo 10. p. 33. Ἐκ τῆς Ἀττικῆς τὸν Ἐρεχθίδεω διαβάντα Πάνδωρον κτίσαι πόλιν μεγίστην τῶν ἐν αὐτῇ Χαλκίδα. Scymni orb. desc. v. 571—573.
- 4) Μετὰ τὰ Τρωικὰ Κότος, ἐξ Ἀθηρῶν ὀρηθεὶς, ὤκισε τὴν Χαλκίδα. Strabo 10. p. 23.
- 5) Οἱ δὲ Ἴπποβοῦνται ἐκαλέοντο οἱ παχέες τῶν Χαλκιδέων. Herodot. 5, 77.  
Ἡ τῶν Ἴπποβοῦντων καλουμένη ἐπεκράτει πολιτεία· προέστησαν γὰρ αὐτῆς ἀπὸ τιμημάτων ἄνδρες ἀριστοκρατικῶς ἄρχοντες. Strabo 10. p. 24.
- 6) Ἡ δὲ Χαλκίς συνήρτισε τὰς (πόλεις) ὑπὸ Ὀλύνθῳ. Strabo 10. p. 23.
- 7) Τὸ ἀπὸ τῆς πηγῆς νᾶμα πᾶσι τοῖς τὴν πόλιν κατοικοῦσιν. Dicaearchi status Graeciae p. m. 19.
- 8) Καὶ τοῖς κοινοῖς δὲ ἡ πόλις διαφόρως κατασκευάσται, γυμνασίοις, στοαῖς κ. τ. λ. ibidem.
- 9) Ἀγορὰ πλατεῖα τε οὖσα καὶ στοαῖς τρισὶ συνειλημένη. Ibidem p. 20.
- 10) Ἡ δὲ χώρα πᾶσα ἐλαιόφυτος. eod. loc. Oleis et ficibus interdum Olympias ventus nocuit. Plin. 17, 24.

rege illo haud dubie annuente, munimenta urbis auxerunt 1). Chalcis patria oratoris Isaei erat, cujus discipulus Demosthenes, et Lycophrontis grammatici et tragoediarum scriptoris Ptolemaei Philadelphi tempore. Denique Aristoteles, qui Athenas, ut invidiam sacerdotum effugeret, clam reliquerat, Chalcide obiit 2). Iam transeamus ad Eretriam, urbem Chalcide non minus antiquam 3); condita enim erat jam ante bellum Trojanum ab Atheniensibus, eoque finito ab Aeolo Atheniensi augebatur 4). Haec urbs maxime mercatura florebat, quam potissimum coloniis in Macedoniam, in Pallenem peninsulam, in Atho montem missis amplificabat 5). Societate cum Chalcide inita totius insulae imperium sibi vindicare potuisset; sed cum saepius cum illa bellum gereret 6), ipsa suas vires fregit. Datis hanc quoque urbem, quae graviter resistebat, expugnavit, magnamque civium partem, opulentissimos scilicet, in Persiam abduxit, ubi illis nova domicilia paravit 7). Eretria vetus ex illo tempore urbis solo aequatae imaginem praebat, ejusque fundamenta vel Strabonis tempore conspici poterant 8). Incolae a Persis relictis urbem non procul a vetere septentrionem versus denuo condiderunt. Aetate, qua maxime florebat, pluribus insulis maris Aegei imperavit 9); septem naves ad pugnam Salaminiam 10), et cum Styris urbe sexcentos milites ad Plataensem misit 11). Naves incolarum prius expeditioni Graecorum contra Persas in Asia minore susceptae et incendio Sardinum interfuerunt 12), quo magni regis animus acri odio exarsit. Incolae non tantum extremis, sed etiam mediis vocibus  $\rho$  addere solebant, atque propterea saepe derisui erant 13). Post bellum Persicum Eretrienses sub ditione Atheniensium erant, Philippus vero (pater Alexandri,) Plutarchum quendam ibi tyrannum imposuit, qui Phocionem acceptis Atheniensium auxiliis tam turpiter prodidit, ut ille exercitum suum aegre servaret. Plut. Phocion 13, 14. Plutarchus et postea tyrannum se gessit.

1) Κατὰ δὲ τὴν Ἀλεξάνδρου διάβασιν καὶ τὸν περιβολὸν τῆς πόλεως ἠύξησαν. Strabo 10. p. 24.

2) Καὶ πρότερον ἢ Ἀριστοτέλους ἐν τῇ Χαλκίδι διατριβῇ, οὗ γε καὶ κατέλυσε τὸν βίον. Strabo 10. p. 33.

3) Sed minorem. Ἐρέτρια πόλις μεγίστη τῆς Εὐβοίας μετὰ Χαλκίδα. Strabo 10. p. 22.

4) Μετὰ τὰ Τρωϊκὰ Αἰκλὸς τὴν Ἐρέτριαν ὥκισε. Strabo 10. p. 23.

5) Ἐρέτρια μὲν γὰρ συνῴκισε τὰς περὶ Παλλήνην καὶ τὸν Ἄθω πόλεις. Strabo 10. p. 23.

6) Ἐς τὸν πάλαι ποτὲ γενόμενον πόλεμον Χαλκιδέων καὶ Ἐρετριέων, καὶ τὸ ἄλλο Ἑλληνικὸν ἐς ξυμμαχίαν ἑκατέρων διέστη. Thucyd. 1, 15. c. extr. cf. Herodot. 5, 99.

7) Τοὺς δὲ τῶν Ἐρετριέων ἀνδραποδισμένους Δαίης τε καὶ Ἀρταφέρνης, ὡς προσέσχον ἐς τὴν Ἀσίην πλέοντες ἀνήγαγον ἐς Σοῦσα. Herodot. 6, 119.

8) Καὶ δεικνύουσιν ἔτι τοὺς θεμελίους· καλοῦσι δὲ παλαιὰν Ἐρέτριαν. Strabo 10. p. 31.

9) Ἐπήρχον δὲ καὶ Ἀνδρίων καὶ Τηρίων καὶ Κείων, καὶ ἄλλων νήσων. loc. cit.

10) Παρεχόμενοι Ἐρετριέες τὰς ἑπτὰ. Herodot. 8, 46.

11) Ἰστάντο Ἐρετριέων τε καὶ Στυρέων ἑξακόσιοι. Herodot. 9, 28.

12) Ἀμα ἀγόμενοι Ἐρετριέων πέντε τριήρεις. Herodot. 5, 99.

13) Τῷ γράμματι τῷ  $\rho$  πολλῶ χρησάμενοι οὐκ ἐπὶ τέλει μόνον τῶν ζημάτων, ἀλλὰ καὶ ἐν μέσῳ, κευκωμῶδῃται. Strabo 10. p. 32.



Deinde cives hujus urbis a partibus Philippi III, patris Persei et Achaeorum foedere junctorum steterunt. Tum Romani urbe ejusque statuis et tabulis potiti sunt 1). Disciplina, cujus auctor Menedemus erat (a. 400) ex hac urbe nomen accepit 2).

Inter utramque urbem *Ἀέλαντον πεδῖον* situm erat, quod Aelianus var. hist. 6, 1. *Ἀέλαντον πεδῖον* appellat. Vicus *Ἀμάρανθος*, Euronotum versus ab Eretria, qui septem stadia (i. e. quatuor millia pedum et ducentos) abfuit ab hac urbe, claro Dianae templo 3) insignis erat et ad agrum Eretrium pertinuisse videtur sicut

*Τάμναι*. Prope hanc urbem, non procul ab Euripo templum Apollinis jam Admeti et Herculis tempore exstructum erat 4).

Vicus (ἡ) *Οιχάλια* in interiore insulae parte erat, eumque commemorant Pomp. Mela 2, 7 et Plinius 4, 12.

Eurytus, ab Hercule certamine sagittarum victus, ei Iolen, pulchram filiam suam negavit; sed heros ille vico devastato filiam regis furtim abduxit 5).

*Ἡ Κάροστος* urbs a Dryopibus, quos Hercules patria expulerat, condita est 6). Sed Strabo colonos ex Attica huc immigrasse narrat 7). Haec urbs sub radicibus Ochae, summi insulae montis 8) centum viginti stadia (i. e. tria milliaria) ab extrema australi parte insulae sita erat. Ex monte, quem modo appellavi, templo Apollinis claro, prope *Μαρυμάριον* marmor in fodinis excisum, et praeterea amiantus inventus est 9). Hinc in Atticam transnavigare solebant. In bello cum Persis gesto urbs a barbaris oppugnata et regione devastata ad deditionem coacta est 10). Themistocles ab ea magnum argenti pondus poposcit 11).

1) Signa, tabulae praeae artis, ornamentaque ejus generis plura, quam pro urbis magnitudine aut opibus ceteris, inventa. Liv. 32, 16. Strabo 10. p. 33.

2) Horum philosophorum omne bonum in mente positum et mentis acie, qua verum cernitur. Cic. quaest. acad. I. 4.

3) Ταύτης δ' ἐστὶ κώμη ἡ Ἀμάρανθος, ἀφ' ἐπιτὰ σταδίων τοῦ τείχους. Strabo 10. p. 30. Στήλη, ἣν ἀνέθεσαν ποτε ἐν τῷ ἱερῷ τῆς Ἀμαρυνθίας Ἀρτέμιδος. Strabo 10. p. 31.

Sacrum anniversarium Amarynthidis Dianae erat. Liv. 35, 38.

4) Ἀδμήτου δὲ ἕδρα λέγεται τὸ ἱερὸν, πλησίον τοῦ πορθμοῦ. Strabo 10. p. 29.

5) Αἰψάνον τῆς ἀναιρεθείσης πόλεως ὑπὸ Ἡρακλέους. Strabo 10. p. 33.

Ut bello egregias idem (Hercules) disjecerit urbes

Trojamque Oechaliamque. Virg. Aen. 8, 290.

6) Κάροστίοι δ' εἰσὶ Δρύοπες. Thucyd. 7, 57.

7) Ὡκίσθαι δὲ τὰ χωρία ταυτὰ φασὶν ὑπὸ τῶν ἐκ Τετραπόλεως τῆς περὶ Μαραθῶνα. Strabo 10. p. 19. 20.

8) Κάροστος δὲ ἐστὶν ὑπὸ τῷ ὄρει τῆς Ὀχης. Strabo 10. p. 17.

9) Πλησίον δὲ τὸ Μαρυμάριον, ἱερὸν ἔχον Ἀπόλλωνος Μαρυμαρίνου, ὃθεν διάπλους εἰς Ἄλας τὰς Ἀραφηνίδας. Strabo 10. p. 18.

10) Ἐνταῦτα τοῦτους ἐπολιόρκειον (οἱ Πέρσαι) καὶ τὴν γῆν σφέων ἔκειρον.

11) Συνέλεγε χρήματα μεγάλα παρὰ Κάροστίων. Herod. 8, 112.

Graeci, qui post pugnam apud Salamina commissam insulas, quae Persis naves auxilio miserant, poena afficere conabantur, hanc quoque urbem aggressi agrum ejus populati sunt 1), Athenienses etiam post pugnam Mycalensem (479) cum Carystiiis bellum gesserunt 2), Postea (415—413.) Carystii Atheniensibus vectigales expeditioni eorum in Sicilia intererant.

Non longe a Carystiorum urbe τὰ Στύρα erant 3), quae jam Homerus (Il. 2, 539.) commemorat; eidem expeditioni Atheniensium quam ὑπήκοοι (Thucyd. 7, 57.) intererant. Incolae a Dryopibus, populo ex Thessalia pulso oriundi Graecorum classi apud Salamina subsidium duarum navium miserunt 4). Urbs ab Atheniensibus bello Maliaco (quod plane innotum est,) vel potius Lamiaco (Lamia enim non longe abfuit a sinu Maliaco,) a Phaedro Atheniensium quodam duce diruta est 5). Γεραιστός nobilis Euboeae portus (Liv. 31, 45.) urbs celebris et templo Neptuni insignis 6), locus navibus ex Asia in Graeciam trajicientibus appellendo opportunus. Jam Homerus urbis (Odys. 3, 177.) mentionem facit. Prope eam Hermolycus, qui in proelio apud Mycalen fortissime pugnaverant, sepultus est 7).

Ἡ Ἰσθιαία sub radicibus Theletrii montis sita a Perrhaebis 8), qui ex Thessalia in haec loca immigraverant, condita est. Persae hac urbe cum locis maritimis, quae sub ejus ditione erant, potiti sunt 9). Tempore Leuctricae pugnae (a. 371.) Ἐλλοπιεῖς a Philistida tyranno coacti in Histiaeam immigraverunt eamque auxerunt 10). Κήρινθος oppidum maritimum 11) et a Cotho Atheniensi conditum 12).

Ὁ Ὠρεὺς prope promontorium Κήριον valida civitas moenibus Liv. 31, 46. a Romanis eorumque socio Attalo Pergami rege bello cum Philippo III. gesto (200—196.) oppugnata et expugnata est.

Ceteras urbes minus claras, ne modum prolusionibus scholasticis concessum excedamus, silentio praetermittamus.

- 1) Οἱ δὲ Ἕλληνες, τραπόμενοι ἐς Κάρυστον, καὶ δηϊώσαντες αὐτέων τὴν χώραν κ. τ. λ. Herodot 8, 121.
- 2) Πολέμου ἔοντος Ἀθηναῖοι τε καὶ Καρυστῖοισι. Herod. 9, 105.
- 3) Πλησίον δὲ τὰ Στύρα. Strabo 10. p. 18.
- 4) Στυρέες δύο νέας παρήχοντο. Herod. 8, 1.
- 5) Κατεστράφη δὲ τὰ Στύρα ἐν τῷ Μαλιακῷ πολέμῳ ὑπὸ Φαίδρον, τοῦ Ἀθηναίων στρατηγῶ. Strabo 10. p. 20. 21.
- 6) Ἐχει δ' ἱερὸν Ποσειδάωνος ἐπισημότατον τῶν αὐτῆ, καὶ κατοικίαν ἀξιόλογον. Strabo 10. p. 22.
- 7) Τοῦτον δὲ τὸν Ἐρμόλυκον κατέλαβε κείσθαι ἐπὶ Γεραιστῶ. Herodot. 9, 105.
- 8) Ἡ δὲ Ἰσθιαία γέγονε Πεθραϊβῶν κτίσις. Scymni orb. descr. v. 577.
- 9) Ἀπὸ τούτου ἔπλωον ἐς Ἰσθιαίην, ἀπικόμενοι δὲ τὴν πόλιν ἔσχον τῶν Ἰσθιαίων. Herod. 8, 23.
- 10) Μετόκησαν δὲ τὴν Ἰσθιαίαν Ἐλλοπιεῖς καὶ ἠύξησαν τὴν πόλιν. Strabo 10. p. 12.
- 11) Καὶ Κήρινθος πολίδιον ἐπὶ τῇ Θαλάττῃ. Strabo 10. p. 17.
- 12) Τὴν δ' ἐναλίαν Κήρινθον ὠσαύτως Κόθον (κτίσαι). Scymni orb. descr. v. 575.